Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1185
Quelle:
Copyright:

ſive *Scripta in I. et II. Librum Sententiar. Petri Lombardi* praemiſſis Indicibus. Titulus et initium eſt: *Incipit primum ſuper ſententiis fratris thome. Ego ſapientia effudi flumina. ego quaſi trames* &c. Prout habetur in Edit. *Joh. Nicolai Opp.* T. VII. *Pariſ.* 1660. f. ordine tamen antiquo, quem mutavit Editor, ut notavit p. 3. ad marg. Itaque ſub finem Περιοχαι, quae interjacet in *Codice* noſtro inter verba: *ſed de bono quod adjungitur culpæ*, et: *Videtur inconvenienter ordinaſſe* &c. et 12. linear. eſt, apud illum, ut *Expoſitionem Textus*, quaere p. 412. *Fol.* 98. *Incipit liber ſecundus.* Ita: *Spiritus eius ornauit celos et obſtetricante manu eius* &c. Ut edit. *cit.* T. VIII. Finis, ut ibi: *et regnum non corrumpetur. In ſecula ſeculorum. Amen.*

Pagg. ult. inter varia Adnotata partim extrita, partim improbe ſcribillata comparent Libri multi Religioſis variis v. g. *F. Mathiolo*, *Bonaccurſio*, *Antonio de Parma* &c. aut conceſſi, aut mutuo dati, aut venditi. Memoratur item *Aegidius Prior*, unde Codicem e quodam Ord. Praed. Conventu *Italico* evaſiſſe putem.

CCCCXCVI.

U. 301 Codex membraneus lat. Sec. XIII. exeunt. Folior. 86. f. per duas columnas nitide, ſed ſuperiore minutius exaratus, minio diſtinctus, et Collegio Ducali ſupremis M. *Nic. de Dünkelſpühl* tabulis transſcriptus complectitur ſolum Ejusdem *Thomae Scriptum in I. Sententiarum*, ut ſupra. *Fol.* 5. p. 2. notatur deeſſe *Diſt. II. Articulus* III. at is ſubpletur ad calcem Operis *fol.* 82. Sub finem legitur eadem Περιοχη, quam ſupra dixi quaerendam p. *Edit.* 412. Codicem Elenchus Diſtinctionum et Quaeſtionum terminat.

CCCCXCVII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 304 XIV. Folior. 255. f. maj. per duas columnas charactere nitido, atro perſcriptus, coloribus diſtinctus, et olim a *M. Thoma de Haſelbach* cum tot aliis legatus Collegio hujati Ducali eſt Ejusdem *Scriptum in IV. Librum Sententiarum.* Initium eſt: *Miſit uerbum ſuum et ſanauit eos* &c. Ut Edit. *ſupra cit.* T. X. commutato tamen aliquantum ordine, ut etiam ſupra obſervatum eſt. Commentarius integer definit, ut in Editis: *ad quem omnia ordinantur. cui eſt honor et gloria in ſec. ſeculor. Amen. Explicit IIII^or ſententiarum ſecundum fratrem thomam de aquino. ordinis predicatorum.* Sequitur Tabula Diſtinctionum et Quaeſtionum tribus columnis. *Pag. ult.* adlita ſunt ejusdem aevi manu Initium Sermonis in illud *Joh.* XIII. *Si non lavero te* &c. ad *kariſſimos* quosdam *et reuerendos Dominos*, ut puto, in *Coena Domini*, et initium Tabulae alphabeticae in *Rubricas Decretalium.* Ad compingendum vero Codicem ſerviunt Membranae vetuſtae Operis cujusdam Rabbinici charactere hiſpa-